

nionem non recipiantur, (nisi) necessitas [*Forte*, ad A hoc] ... coegerit.

XCIX. Quod virgines etiam ante xxv annos velari possint, si... aliqua jam non admittant.

C. Ut ex singulis provinciis terni iudices seligantur, ne diutius in concilio omnes episcopi teneantur.

CI. Quod excommunicati ad accusationem non sunt admittendi.

CII. Ut nullus servus, vel libertus, vel infamis, vel hæreticus, vel paganus, vel Judæus, vel illi quos publicæ leges non admittunt, ad accusationem admittantur: quibus tam omnibus in propriis causis licentia accusandi non negatur.

CIII. Ut accusatores clericis plurima crimina obijcientes, si hoc quod primum obijecerint probare non valuerint, ad reliqua ut ad testimonium non admittantur: Qui nec accusare permittuntur vel illi quos accusator de domo sua produxerit.

CIV. Nullus ad testimonium exhibeatur intra sextum annum ætatis suæ.

CV. Ut si episcopus aliquem sibi soli crimen confessum fuisse dixerit; ille a negaverit, non indignetur episcopus, si sibi soli non creditur.

Ut quandiu episcopus aliquem sibi soli crimen confessum pro excommunicato vitaverit, tandiu eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis. Et hoc ideo episcopus caveat, ne in quemquam dicat, quod aliis documentis probare nequeat.

Et subscripserunt:

<sup>a</sup> Forte, et ille. HARD.

Aurelius episcopus his gestis statutorum apud nos habitis subscripsi.

Augustinus [*Faustinus*] episcopus ecclesiæ Potentiæ provinciæ Italiæ Piceni legatus Ecclesiæ Romanæ his gestis subscripsi.

Philippus et Asellus presbyteri, Romanæ Ecclesiæ legati, his gestis subscripsimus, quæ per nos Romanæ, directa sunt.

Augustinus episcopus Hipponensis, legatus provinciæ Numidiæ, his gestis subscripsi.

Item et reliqui ccc episcopi subscripserunt.

Quod prædicta synodus Africana ccvii episcoporum per Faustinum episcopum, et Philippum et Asellum presbyteros ejusdem concilii statuta Bonifacio papæ confirmanda direxerit, et quod per eundem papam sibi exemplaria Nicæni concilii ex orientalibus episcopis mutuari petierit.

Quod sanctus Cyrillus patriarcha Alexandrinus episcopis Africanæ synodi authentica Nicæni concilii exemplaria direxerit.

Quod et Atticus Constantinopolitanus episcopus Africanis episcopis authentica Nicæni concilii exemplaria direxerit.

Quod exemplaria Nicæni concilii post consulatum Honorii et Theodosii Augustorum vi Kalendas Decembris ad Bonifacium papam sub xx capitibus pervenerint, sicut per omnia in superioribus sunt.

Quod Africanum concilium missis litteris Cælestini papam rogaverit, ut excommunicatos ex Africa fugientes nullatenus in communionem susciperet.

## ADRIANI PAPÆ CAPITULA

Quæ ex Græcis et Latinis canonibus, et synodis Romanis, atque decretis præsulum ac principum Romanorum sparsim collecta sunt, et Ingilramno Mediomaticæ urbis episcopo Rome a beato Adriano papa tradita, sub die xiii Kalendas Octobres, indictione 9, quando pro sui negotii causa agebatur.

### DE SEQUENTIBUS CAPITULIS J. SIRMONDI MONITUM.

Qui sequuntur Adriani papæ canones et decreta, seu sententiæ (nam et his quoque nominibus appellari solent), in postrema editione, quæ Antonii Augustini notis illustrata est, ita distinctæ atque distributæ sunt ut lxxii capitulis comprehendantur. Cæterum octoginta numero fuisse constat. Hoc enim et priores editiones titulo suo testantur, et Gratianus aliique canonum collectores, cum horum canonum

testimonio utuntur, eundem numerum agnoscunt. Quare quoniam in exemplaribus quoque nostris confusi et sine numerorum notis erant, pristinum numerum, id est octogentarium, ex conjectura reddidimus. Singulis etiam canonibus singula regum nostrorum capitula quæ his Adriani sententiis respondent, apponenda curavimus.

#### I.

Quod qui episcopum accusat, Dei ordinationem accusat.

(*Capitular. lib. vi, c. 280. — 6, quæst. 1, Sacerdotes.*) Dei ordinationem accusat, in qua constituuntur, qui episcopos accusat vel condemnat, dum minus spiritalia quam terrena sectantur. Unde Propheta ait: *Notite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari (I Paral. xvi).*

#### II.

Qui negotium habet cum episcopo prius ad illum privatim recurrat.

(*Lib. vi, cap. 287.*) Placuit ut quæcumque persona

contra episcopum, vel actores ecclesiæ, se proprium crediderit habere negotium, prius ad eum recurrat charitatis studio; ut familiari colloquio commoventur, ea sanare debeat quæ in querimoniam deducuntur. Quam rem si differre [deferre] voluerit, sententiam suscipiat excommunicationis.

#### III.

De primatu sedis apostolicæ et de legitima episcopi vocatione.

(*Addit. iv, cap. 42.*) Nullus episcopus, nisi canonicè vocatus, et in legitima synodo suo tempore

apostolica auctoritate convocata (cui jussione Domini, et meritis beati Petri apostoli, singularis congregandorum conciliorum auctoritas, et sanctorum canonum ac venerandarum Patrum decretis multipliciter privata tradita est potestas, super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur vel impetatur. Si aliter presumptum a quibuslibet fuerit, in vanum deducatur quod egerint. Nec inter ecclesiastica ullo modo reputabitur, nec illas habebit vires quidquid [ei] obviaverit. Quoniam eadem sedes, testante Veritatis voce, primatum obtinuit; nec prima dicitur, si aliam super se haberet. Quæ etiam caput est omnium Ecclesiarum, a qua omnes sumpsere originem. Primatum enim non synodalibus aut aliquibus commentis meruit institutis, sed Domino largiente, qui ait: *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* (Matth. xvi); et reliqua talia et his similia. Quibus si aliquis superbo spiritu obviaverit, præceptionibus non exeat impenitus, sed gradus sui periculo subiacebit.

## IV.

*De discutienda accusatoris persona.*

(Addit. iv, c. 11.) Placuit ut semper primo in accusatione clericorum fides et vita blasphemantium perscrutetur. Nam fides omnes ætus hominis debet præcedere, quia dubius in fide infidelis est. Nec eis omnino esse credendum, qui veritatis fidem ignorant, aut non rectæ conversationis vitam ducunt, quoniam tales facile et indifferenter lacerant et criminantur recte et piè viventes et credentes. Ideo suspicio eorum discutienda est primo et corrigenda.

## V.

*Qualiter episcopus ad synodum convocetur et qualiter in ea de illo agatur.*

(Addit. iv, c. 11.) Sancta synodus Romana dixit: Hæc sunt quæ deinceps propter malorum hominum insidias, qui in Ecclesiam et ecclesiasticos indifferenter sæviunt viros, conservari firmissime volumus in sæcula. Si quis episcopus ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquam ipse ab eis charitative conventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat, et eam corrigere noluerit, non olim sed tunc ad summos primates causa ejus canonicè deferatur. Qui congruo in loco, infra ipsam provinciam, tempore a canonibus præfixo Nicænis concilium canonicè convocare debebat, ita ut ab omnibus ejusdem provincie episcopis in eo [ea] audiatur. In quo et ipse canonicè convocatus, si eum aut infirmitas, aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debet, quia ultra provincie terminos accusandi ante licentia non est, quam audientia rogetur. Nam si suis fuerit rebus exspoliatus, aut, quod absit, quod alienum ab omnibus debet esse fidelibus, a sede propria ejectus, aut in detentione aliqua a suis ovibus fuerit sequestratus, tunc canonicè, antequam in pristinum restituatur honorem et sua omnia quæ insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerant, redintegrentur, nec convocari, nec judicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate, minime tamen

A judicandus, advenire sponte elegerit. Nec omnino a quoquam respondere cogatur, antequam omnia integerrime quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat potestati ejus ab honorabili concilio redintegrentur, et præsul prius statui pristino restituatur; et ipse dispositis ordinatisque libere ac secure suis, tunc canonicè convocatus, ad tempus synodo in legitima et canonica veniat ad causam, et si ita justè videtur, accusantium propositionibus respondeat. Nam hoc summopere providendum est, ne antequam hæc omnia flant coactus respondeat, quia contentio semper vitanda est. Adimi namque episcopo episcopatum antequam causæ ejus exitus appareat, nulli Christiano videri jure potest. (6, q. 3, *Si ægrotus.*) Quod si ægrotans fuerit episcopus, aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se legatum ad synodum mittat; nec a communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum judicum die statuta litteris evocatus minime occurrerit, hoc est, nisi alia præoccupaverit necessitas, infra duorum vel trium mensium spatium et eo amplius, prout causa dictaverit. Quod si ex utraque parte ad causam dicendam venerint, quia unus absque altero audiri non debet, quærendum est in judicio, ejus sint conversationis et fidei atque suspicionis accusatores, aut qua intentione hoc faciant: quia ad hoc admitti non debent, nisi bonæ conversationis et rectæ fidei viri, et ii qui omni suspitione careant et bona vita clareant, neque infames existant. Quod si accusatorum personæ in judicio episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias habuerint causas, non tamen criminales vel ecclesiasticas. Infamis enim persona nec procurator potest esse, nec cognitor. Absente vero adversario non audiatur accusator, nec sententia absente parte alia a iudice dicta ullam obtinebit firmitatem. Neque absens per alium accusare aut accusari potest. Nec affinis testis admittatur. Neminem ergo exhiberi de provincia ad provinciam vel ad comitatum oportet, nisi ad relationem judicis, ad quem fuerit appellatum, id est ut actor semper rei forum sequatur. Si quis autem iudicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, quam nulli oportet negari.

## VI.

*Ut si quis metropolitanum suspectum habuerit, apud primum audiatur.*

(Addit. iv, c. 13.) Si quis autem putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud primum diocesanos, aut apud Constantinopolitane civitatis sedem, agat iudicium, et reliqua

## VII.

*De canonicæ accusationis ordine.*

(Lib. vii, c. 13, 338.) Accusationis ordinem dudum canonicis institutum decretis servari jubemus. Ut si quis clericorum in accusatione pulsatus fuerit, non statim reus æstimetur qui accusari potuit, ne subjectam innocentiam faciamus. Sed quisque [quisquis] illa est qui crimen intendit, in iudicium veniat, no-

men rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiae [custodiat] similitudinem, habita tamen dignitatis aestimatione, patiat [potiatur]; nec sibi fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.

## VIII.

*Ut accusatio clericorum intra provinciam fiat, et ut pulsatis appellare liceat.*

(3, q. 6, Si quis clericus.— *Addit.* iv, c. 9.) Si quis clericus super quibuslibet criminibus pulsatus fuerit in provincia, in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerat actiones, nec aestimet eum accusator suus alibi aut longius pertrahendum ad iudicium. Illi vero qui pulsatus fuerit, si iudicem suspectum habuerit, liceat appellare.

## IX.

*Salvo sedis apostolicæ primatu, res provinciae cujusque synodus provinciae dispenset.*

(*Lib.* vi, c. 387.) Salvo Romanæ Ecclesiae in omnibus primatu, manifestum est quod illa quæ sunt per unamquamque provinciam, ipsis provinciae synodus dispenset, sicut in Nicæno constat decretum esse concilio.

## X.

*Omnis accusatio intra provinciam audienda.*

(*Ibid.*) Ultra provinciae termines accusandi licentia non progrediatur. Omnis accusatio intra provinciam audiatur, et a comprovincialibus terminetur.

## XI.

*Quæ sæculi leges non admittunt, a clericorum causis repellenda.*

(*Lib.* vii, c. 44.) Accusationes et accusatores, atque ea negotia quæ sæculares non adsciscunt leges, divina ac synodica funditus a clericis repelli auctoritate censemus, quia indignum est superiores pati ab inferioribus, quæ inferiores ab eis pati despiciunt.

## XII.

*Causæ ubi ortæ sunt finiendæ, salva appellatione.*

(*Lib.* vi, c. 287.) Prudentissime justissimeque Nicæna sive Africana decreta definiunt quæcunque negotia in suis locis, ubi orta fuerint, finienda, maxime quia unicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad concilium suæ provinciae vel etiam universale provocare.

## XIII.

*Episcopi ejecti et spoliati ante accusationem redintegrandi.*

(*Ibid.*) Placuit episcopos ejectos atque suis rebus exspoliatos ecclesias proprias primo recipere et sua omnia eis reddi, et postea si quis eos accusare vellet, æquo periculo facere. Iudices esse decernentes episcopos recta sapientes, in ecclesiam convenientes, ubi testes essent singulorum qui oppressi videbantur.

## XIV.

*Ut metropolitanus episcopi causam sine comprovincialibus, et episcopus presbyteri causam sine clericis suis non audiat.*

(*Addit.* iv, c. 10.) Nullus metropolitanus episcopus absque cæterorum omnium comprovincialium episcoporum instantia, aliquorum audiat causas eorum, quia irrita erunt, imo etiam causam in synodo pro

A facto dabit. Nec reliquorum aliquis episcoporum suorum sacerdotum causas audiat absque præsentia clericorum suorum, quia irrita erit sententia episcopi, nisi præsentia clericorum confirmetur.

## XV.

*Accusantium personam ante omnia discutiendam.*

(*Lib.* v, c. 139.) Primo semper vita et persona accusantium diligenter inquiratur, et postea quæ obijciuntur fideliter pertractentur, quia nihil aliter fieri debet, nisi impetitorum prius vita discutiatur.

## XVI.

*Ut his quorum libertas nescitur, nequaquam accusetur sacerdotes.*

(*Lib.* vi, c. 276-278.) Ii qui non sunt bonæ conversationis, vel quorum fides et vitæ libertas nescitur, non possunt sacerdotes accusare, nec viles personæ in accusationem eorum admittantur.

## XVII.

*Ut criminosus accusandi vocem non habeat.*

(*Lib.* vii, c. 65.) Ii qui in aliquibus criminibus irretiti sunt vel qui sunt suspiciosi, vocem adversus majores natu non habeant accusandi, sed ii qui omni suspicione careant.

## XVIII [XVI, sec. Ant. Augustinum].

*Nullus episcopus alterius parochianum retineat, ordinet, vel iudicet.*

(*Lib.* viii, c. 229.) Nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere aut ordinare absque ejus voluntate, vel iudicare, quia sicut irrita erit ejus ordinatio, ita et judicatio [dijudicatio]: quoniam censemus nullum alterius iudicis, nisi sui sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare ullatenus poterit

## XIX [XVII].

*De peregrinis iudiciis non recipiendis.*

(*Ibid.*, c. 230.) Peregrina iudicia generali sanctione prohibemus, quia indignum est ut ab externis iudicetur, qui provinciales et a se electos debet habere iudices.

## XX [XVIII].

*Ut episcopus extra provinciam ad iudicium non vocetur, eique provocare liceat, si iudices suspectos habeat.*

(*Lib.* vii, c. 234.) Nullus episcopus extra suam provinciam ad iudicium devocetur; sed vocato eo canonice; in loco omnibus congruo, tempore synodali ab omnibus comprovincialibus episcopis audiat; qui concordem super eum canonicamque proferre debent sententiam. Quia si hoc minoribus tam clericis quam laicis concessum est, quanto magis de episcopis servari convenit? Nam si ipse metropolitana aut iudices suspectos habuerit, aut infestus senserit, apud primatem dicecesos aut apud Romanæ sedis pontificem iudicetur.

## XXI [XIX].

*Quales personæ ad accusationem non admittantur.*

(3, q. 1, Omnes vero infames.— *Lib.* vii, c. 76.) Placuit ut nullus servus, nullus libertus, nulla infamis persona sacerdotem accuset. Omnes vero infames esse didicimus, quos leges sæculi infames appel-

lant, et omnes qui culpis exigentibus ad sacerdotium A  
nou possunt provelii. Indignum est enim ut illi eos  
accusent, qui esse non possunt quod ipsi sunt: quo-  
niam sicut majores a minoribus non judicantur, ita  
nec criminari possunt.

## XXII [XX].

*Ut accusatores presentes adsint, et accusatis spatium  
detur ad abluenda crimina.*

(*Lib. vii, c. 130.*) Placuit ut nullus episcopus  
quemquam clericorum judicare aut damnare præsumat,  
nisi accusatus legitimos accusatores presentes  
habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda  
crimina.

## XXIII [XXI].

*De episcopis qui ad Romanum appellant pontificem.*

(*Ibid., c. 235.*) Placuit, si episcopus accusatus ap-  
pellaverit Romanum pontificem, id statuendum quod  
ipse censuerit.

## XXIV [XXII].

*Qui clericum accusat, si probare non potest, infamiam  
jacturam subeat.*

(*Ibid., c. 340.*) Si quis episcopus, presbyter aut  
diaconus, vel quilibet clericus, apud episcopos, quia  
alibi non oportet, a qualibet persona fuerit accusati  
quicunque fuerit ille, sive sublimis vir honoris, sive  
ullius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis  
intentionis arripuerit, noverit docenda probationibus  
monstranda documentis se debere inferre. Si quis  
vero circa hujusmodi personas non probanda detu-  
lerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat se jactu-  
ram infamiae propriae sustinere; ut damno pudoris,  
existimationis dispendio, discat sibi alienae vere-  
cundiae impune insidiari saltem de cætero non lice-  
re, sed qualem fratri paraverat damnationem, talem  
in se suscipiat.

## XXV [XXIII].

*De primatum et metropolitanorum differentia.*

(*Lib. vii, c. 341.*) Nullus archiepiscoporum, nisi  
qui primas sedes tenent, appelletur primas, aut prin-  
ceps sacerdotum, aut summus sacerdos, vel aliquid  
hujusmodi: sed tantum ille qui in metropoli sedet,  
aut metropolitanus, aut archiepiscopus vocetur, et  
suum in canonibus præfixum non excedens teneat  
cum humilitate modum. Et ille qui primam sedem  
retinet, tantummodo primæ sedis appelletur episco-  
pus, salva semper in omnibus auctoritate beati Petri  
apostoli.

## XXVI [XXIV].

*Judici omnia patienter audienda quæ proponuntur,  
priusquam sententiam ferat.*

(*Lib. v, c. 246.*) Judicantem oportet cuncta rimari,  
et ordinem rerum plena inquisitione discutere,  
interrogandi ac proponendi, adjiciendi que patientia  
præbita ab eo, ut ibi actio partium limitata sit pleniter,  
nec prius litigantibus sua velit sententia ob-  
viare, nisi quando ipsi peractis omnibus jam nihil  
habuerint in questione quod proponant: et tandiu  
actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perve-  
niatur. Frequenter ergo interrogari oportet, ne ali-  
quid forte prætermisissimum remaneat quod annecti con-  
veniat.

## XXVII [XXV].

*De iis qui indiscussos potestate tyrannica damnant:  
Et quod episcopi vel presbyteri non debeant ab aliis  
judicari, nisi et a quibus ordinari.*

(*Lib. vii, c. 241.*) Sunt nonnulli qui indiscussos  
potestate tyrannica non canonica auctoritate dam-  
nant; et sicut nonnullos gratia favoris sublimant, ita  
quosdam odio invidiaque permoti humiliant, et levi  
opinionis aura condemnant, quorum crimina non  
approbant. Ideoque communi decreto censemus ut  
quandocunque aliquis episcoporum criminatur, con-  
gregatis omnibus ejusdem provinciae episcopis, causa  
ejus audiatur, ut non occulte judicetur vel condem-  
netur, qui [quia] ab aliis prius judicari non potest,  
nisi ab iis a quibus ordinari potuit. Quod si aliter  
factum fuerit, nullas vires habebit.

## XXVIII [XXVI].

*Ubi judicari debeant qui adversus episcopum vel me-  
tropolitanum causam habent.*

(*Ibid., c. 241.*) Si clericus vel laicus habuerit  
causam adversus episcopum proprium, vel adver-  
sus alterum, aut episcopus adversus quemquam, apud  
synodum provinciae judicetur. Quod si adversus  
ejusdem provinciae metropolitanum episcopus vel  
clericus habuerit querelam, petat primatem diocæ-  
seos, ut apud ipsum judicetur; aut apud sedem apo-  
stolicam.

## XXIX [XXVII].

*Ut episcopus accusatus ab omnibus comprovinciatibus  
audiatur.*

(*Ibid., c. 79.*) Si quis episcopus super certis accu-  
satur criminibus, ab omnibus audiatur, vel judice-  
tur, qui sunt in provincia, episcopis.

## XXX [XXVIII].

*De episcopo qui alterius parochianum ordinat vel  
judicat.*

Si quis episcopus judicaverit vel ordinaverit alte-  
rius parochianum sine consilio et voluntate episcopi  
sui, oportet eum non sine increpatione in communi  
concilio admitti, ita ut ecclesiasticum ultra non  
solvat canonem.

## XXXI [XXIX].

*Ut eorum in accusatione vel testimonio vox obstrua-  
tur, qui divinis vocibus mortui sunt*

(2, q. 7, *Placuit eorum.* — *Lib. vii, c. 242.*) Pla-  
cuit eorum accusandi sacerdotes, et testificandi in  
eos, vocem obstruere, quos non humanis, sed divi-  
nis vocibus mortuos esse scimus, quia vocem fu-  
nestam potius interdicti [interdici] quam audiri  
oportet.

## XXXII [XXX].

*De non neganda appellatione accusato.*

(*Ibid., c. 243.*) Placuit ut accusato, si iudicem sa-  
spectum habuerit, liceat appellare, quia non oportet  
negare [negari] audientiam roganti.

## XXXIII [XXXI].

*Quod reis qui de se confessi sunt, super alios non sit  
credendum.*

(3, q. 11, *Non est credendum.* — *Lib. vii, c. 244.*)  
Non est credendum contra alios eorum confessioni

qui criminibus implicantur, nisi se prius probaverint **A** innocentes, quia periculosa est et admitti non debet rei adversus quemcunque confessio.

## XXXIV [XXXII].

*Ut qui iudices suspectos habuerint, vocem appellationis exhibeant.*

(*Lib. vii, c. 170.*) Si quis iudicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, ut cum ei concessum fuerit, integro negotio apud alium iudicem amotis dilationibus possit audiri.

## XXXV [XXXIII].

*Quod omnibus qui lite pulsati sunt, non alibi quam in proprio foro iurgandum sit.*

(11, q. 2, *Clericus sitē.* — *Lib. vii, c. 251.*) Clericus, sive laicus, si crimine aut lite pulsatus fuerit, non aliubi quam in foro suo provocatus audiatur.

## XXXVI [XXXIV].

*Ut appellantes nulla arceantur detentione.*

(*Ibid., c. 252.*) Appellantes non debet afflictio ulla, aut carceris, aut detentionis, injuriare custodia; si liceat [et liceat] appellantis vitiatam causam appellationis remedio sublevare.

## XXXVII [XXXV].

*Quod etiam in causis criminalibus appellare liceat.*

Liceat etiam in causis criminalibus appellare, nec appellandi vox denegetur ei quem in supplicium sententia destinavit.

## XXXVIII.

*In causis capitalibus absens accusare non potest, nec accusatus per alium defendi.*

(6, q. 3, *In criminalibus.* — *Lib. vii, c. 271.*) In criminalibus causis nec accusator nisi per se aliquem accusare potest, nec accusatus per aliam personam se defensare permittitur.

## XXXIX [XXXVI].

*De constitutionibus contra canones et decreta, vel contra bonos mores condita.*

(*Lib. vii, c. 265.*) Constitutiones contra canones et decreta præsumptum Romanorum, vel bonos mores, nullius sunt momenti.

## XL [XXXVII].

*Ut non constringat clericum sententia non a suo iudice dicta.*

(11, q. 3, *In clericorum.* — *Lib. vii, c. 266.*) In clericorum causa huiusmodi forma servetur, ut ne quemquam eorum sententia non a suo [a non suo] iudice dicta constringat.

## XLI [XXXVIII].

*De his qui falsa aliis inrogant.*

(5, q. 6, *Omnis qui falsa.* — *Lib. vi, c. 277.*) Omnis qui falsa aliis intulerit, puniatur, et pro falsitate ferat infamiam.

## XLII [XXXIX].

*De provinciali retractanda per vicarios urbis Romæ episcopi.*

(*Lib. vii, c. 267.*) Ut provincialis synodus retractetur per vicarios Romani pontificis [urbis Romæ], si ipse decreverit.

## XLIII [XL].

*De iis qui majores natu accusant.*

De iis qui in accusationem majoris natu veniunt,

et ut episcopum nulli criminoso liceat accusare.

## XLIV [XLI].

*Quod in causa capitali, vel in causa status, non per advocatos, sed per ipsos agendum sit.*

(2, q. 6, *Si quando.* — *Lib. vii, c. 274.*) Si quando in causa capitali, vel in causa status interpellatum fuerit, non per procuratores, sed per ipsos est agendum.

## XLV [XLII].

*Ut liceat majores iudices appellare; quoties necessitas ingruerit.*

(*Lib. v, c. 250.*) Placuit ut a quibuscunque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos, nisi major est auctoritas, fuerit provocatum, audientia non negetur.

## XLVI [XLIII].

*Ut metropolitani episcoporum causas, nisi presentibus omnes fuerint episcopi comprovinciales, audire non præsumant.*

(*Lib. vii, c. 275.*) Si quis metropolitanus episcopus, nisi quod ad suam pertinet propriam solummodo parochiam, sine consilio et voluntate omnium comprovincialium episcoporum extra aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit, et quod egerit, irritum habeatur et vacuum. Sed quidquid de provincialium coepiscoporum causis suarumque Ecclesiarum et clericorum, atque sæcularium necessitatibus, agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprovincialium agatur pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima et concordia omnium administratione, sicut Dominus ait: *Non veni ministrari, sed ministrare* (*Matth. xi*); et alibi: *Qui major est vestrum, erit minister vester* (*Matth. xxiii*), et reliqua. Similiter et ipsi comprovinciales episcopi cum ejus consilio, nisi quantum ad proprias pertinet parochias, agant, juxta sanctorum constituta Patrum: ut uno animo, uno ore concorditer sancta glorificetur Trinitas in sæcula.

## XLVII [XLIV].

*Quæ in laicis arguuntur, a clericis respondent.*

(*Lib. vii, c. 276.*) Quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in clericis prædamaari.

## XLVIII.

*De contemptoribus canonum, laicis vel clericis.*

Ut laici contemptores canonum excommunicentur, clerici vero honore priventur.

## XLIX [XLV].

*Delatores qui sint, et qua poena multandi.*

(*Lib. vii, c. 277.*) Delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amuletur. Delatores autem sunt qui invidia produunt alios

## L [XLVI].

*De iis qui in alterius famam scripturam, aut verba contumeliosa confecerint.*

(*Ibid., c. 278.*) Qui in alterius famam in publico scripturam, aut verba contumeliosa confecerint, et repertus scripta non probaverit, flagellatur: et qui ea prius invenerit, rumpat, si non vult auctori facti causam incurrere.

## LI [XLVII].

*De eo qui iratus crimen objicit, et postea retractat.*  
(*Ibid.*, c. 281.) Si quis iratus crimen aliquod cui-  
libet temere objecerit, conviciium non est pro accu-  
satione habendum; sed permissio tractandi studio,  
id quod iratus dixit, per scripturam se probaturum  
esse fateatur, aut si forte respiscens post iracundiam,  
quæ dixit iterare aut scribere noluerit, non  
ut reus criminis habeatur [teneatur].

## LII [XLVIII].

*Qui crimen objicit, probare debet, et ut causa ibi agatur  
ubi crimen admissum est.*

(5, q. 6, *Qui crimen.* — *Lib.* vii, c. 282. — 2, q. 3,  
*Omnis igitur qui.*) Qui crimen objicit, scribat se pro-  
baturum revera, et ibi causa agatur ubi crimen ad-  
mittitur: ut qui non probaverit quod objicit, poenam  
quam intulerit ipse patiat.

## LIII [XLIX].

*Ne iudices causam absentis personæ sua sententia præsumant.*

(*Lib.* vi, c. 279.) Caveant iudices Ecclesiæ, ne, ab-  
sente eo cujus causa ventilatur, sententiam proferant:  
quia irrita erit, imo et causam in synodo pro facto  
dabunt.

## LIV [L].

*De eo qui frequenter litigat, ut non suscipiatur absque  
examine.*

(*Lib.* v, c. 245.) Ejus qui frequenter litigat, et ad  
accusandum est facilis, accusationem nemo absque  
grandi examine recipiat.

## LV [LI].

*Quod episcopi inter se corrigere, si quid ortum fuerit,  
debent.*

(*Lib.* vi, c. 301.) De accusationibus episcoporum  
Constantinus imperator inter cætera sic ait: «*Ve-*  
*stræ, inquit [quidem], accusationes tempus habebunt*  
*proprium, id est, diem magni iudicii: iudicem vero*  
*illum, qui tunc futurus est omnibus iudicare. Mihi*  
*ergo homini, constituto de hujusmodi rebus non licet*  
*habere auditorium, sacerdotum scilicet accusantium*  
*simul et accusatorum. Quos minime convenit tales*  
*debere monstrari, qui iudicentur ab aliis, cum ab ipso*  
*Domino magis sint ipsi iudicandi, de quibus ait pro-*  
*pheta: Deus stetit in synagoga deorum: in medio au-*  
*tem Deus discernit (Psal. LXXXI). Neque possunt hu-*  
*mano condemnari examine, quos Deus suo reser-*  
*vavit iudicio.* » Et reliqua talia, et his similia.

## LVI [LII].

*Summus præsul a nemine iudicatur.*

Neque præsul summus a quoquam iudicabitur, quia  
dicente Domino, *Non est discipulus super magistrum*  
(*Luc.* vi).

## LVII [LIII].

*Ut iudex non ante reum condemnet, quam ipse con-*  
*fiteatur, aut per testes revincatur.*

(*Lib.* v, c. 156.) Iudex criminosum discutiens non  
ante sententiam proferat capitalem, quam aut reum  
se ipse confiteatur, aut per innocentes testes con-  
vincatur.

## A

## LVIII [LIV].

*Injusta episcoporum damnatio a synodo retractanda.*  
(11, q. 3, *Irritam esse.*) Irritam esse injustam epi-  
scoporum damnationem, idcirco a synodo retra-  
ctandam.

## LIX [LV].

*Quod Ecclesiam suam relinquere nullus debeat.*  
(*Lib.* vii, c. 366.) Ut ne quis, dum in ea durare  
poterit, qualibet necessitate suam relinquat Eccle-  
siam.

## LX [LVI].

*Ante iudicem non suum pulsatus taceat si velit: et ut  
appellanti induciæ dentur.*

(*Lib.* vii, c. 283.) Pulsatus ante suum iudicem cau-  
sam dicat; et non ante suum iudicem pulsatus, si vo-  
luerit, taceat: et ut pulsatus, quoties appellaverint, in-  
duciæ dentur.

## LXI [LVII].

*De eo qui contra suam subscriptionem venit.*

(*Lib.* vi, c. 232.) Si quis contra suam professionem  
vel conscriptionem venerit, si clericus fuerit, depona-  
tur; si laicus, anathematizetur.

## LXII [LVIII].

*Falsum crimen adversus episcopum, presbyterum, dia-*  
*conem objicienti nec in fine danda communitio.*

Si quis episcopum, aut presbyterum, aut diaconum,  
falsis criminibus appetierit, et probare non poterit,  
nec in fine dandam esse [nisi in fine dandam ei non  
esse] communionem.

## LXIII [LIX].

*De libellis famosis.*

(*Lib.* vi, c. 245.) Si qui inventi fuerint libros fa-  
mosos legere vel cantare, excommunicentur.

## LXIV [LX].

*Ut diebus Dominicis causæ ab episcopo non audiantur.*

(15, q. 4, *Nullus episcopus.* — *Lib.* vi, c. 245.) Ut  
nullus episcopus, vel infra positus, die Dominico  
causas iudicare præsumat.

## LXV [LXI].

*De potente, si quem expoliaverit, ut ab episcopo ex-*  
*communicetur.*

(*Ibid.*, c. 246.) Ut si quis potentem quemlibet ex-  
spoliaverit, et admonente episcopo non reddiderit,  
excommunicetur.

## LXVI [LXII].

*Ut nullus clericus a suo recedat episcopo.*

(*Ibid.*, c. 247.) Ut nullus clericus ab episcopo suo  
recedat, et ad alium se transferat.

## LXVII [LXIII].

*Ut criminibus implicati ad accusationem aut testimo-*  
*nium non admittantur.*

(*Lib.* vi, c. 298.) Homicidæ, malefici, fures, sacri-  
legi, raptores, venefici, adulteri, et qui raptum fecerint,  
vel falsum testimonium dixerint, seu qui adsor-  
titelegos magosque cucurrerint, nullatenus ad accusa-  
tionem vel ad testimonium erunt admittendi.

## LXVIII [LXIV].

*Criminosi accusatio periculosa est, et admitti non  
debet.*

(6, q. 1, *Qui crimen intendit.*) Qui crimen intendit,

agnoscendum est si ipse ante non fuit criminosus, A  
quia periculosa est et admitti non debet rei adversus  
quemcunque professio.

## LXIX [LXV].

*Miserorum ruinis qui succurrit, Dei a se removet vindictam.*

(*Lib. vi, c. 250.*) Occurrere quisque fidelium ruinis  
miserorum debet subsidio quo valet, et ex relevatione  
alienæ vindictæ a se Dei removeere vindictam  
[quo valeat et r. a. v. a. se Dei r. v.]. Libat enim  
Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa.

## LXX [LXVI].

*De periculo judicantium, et providentia eorum.*

(*Lib. vii, c. 287.*) Majus periculum est judicantis  
quam ejus qui judicatur: unde unicuique providendum  
est ne aliquem injuste judicet aut puniat.

## LXXI [LXVII].

*De accusatione adversus doctorem submovenda.*

(*Ibid., c. 288.*) Accusationes adversus doctorem  
nemo suscipiat, quia non potest humano condemnari  
examine, quem Deus suo judicio reservavit.

## LXXII [LXVIII].

*De presbyteris, diaconibus, et reliquis clericis, ex decreto sancti Silvestri et LXXXIV episcoporum.*

(*Lib. i, c. 139.*) Presbyter non adversus episcopum,  
non diaconus adversus presbyterum, aut subdiaconus  
adversus diaconum, non acolythus adversus subdiaconum,  
non exorcista adversus acolythum, non lector adversus  
exorcistam, non ostiarius adversus lectorem, det  
accusationem aliquam. Et non damnabitur præsul,  
nisi in LXXII testibus. Neque præsul summus a quoquam  
judicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus  
super magistrum (Luc. vi).* Presbyter autem in cardine  
constitutus, non nisi LXIV testibus damnabitur. Diaconus  
cardinarius constitutus urbis Romæ, nisi in XXVI non  
condemnabitur. Subdiaconus, acolythus, exorcista,  
lector, nisi, sicut scriptum est, in VII testibus non  
condemnabitur. Testes autem sine aliqua sint infamia,  
uxores et filios habentes, et omnino Christum prædicantes.

## LXXIII.

*Laici testimonium adversus clericum suscipi non debet.*

(*6, q. 1, c. 6, Testes.*) Testimonium laici adversus  
clericum nemo suscipiat.

## LXXIV.

*Clericus in publico examinandus non est, sed in ecclesia.*

Nemo enim clericum quemlibet in publico  
examinare præsumat, nisi in ecclesia, et reliqua.

## LXXV [LXIX].

*De episcopis damnare volentibus eum a quo sunt consecrati.*

(*Lib. vii, c. 85.*) Episcopi pontifici a quo consecrati  
probantur, præjudicium inferre nullum possunt.  
Quod si præsumptum fuerit, viribus carere non  
dubium est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo  
statuta censerì.

## LXXVI [LXX].

*Ut nullus contra religionem faciat.*

(*Lib. v, c. 248.*) Non licet imperatori, vel cuiquam  
pietatem custodienti, aliquid contra mandata divina  
præsumere.

## LXXVII.

*De apostolicis et canonicis decretis minime violandis.*

(*Lib. vii, c. 90.*) Providendum est ne in aliquo apostolica  
aut canonica decreta violentur.

## LXXVIII.

*De injusto judicio principis, metu vel jussu terminate, cassando.*

(*Lib. v, c. 251.*) Injustum judicium, et definitio  
injusta, regio metu vel jussu a iudicibus ordinata, non  
valeat.

## LXXIX [LXXI].

*Quod hi qui contra Patres armantur, Deo existant odiosi.*

(*Lib. vii, c. 287.*) Sic odit Deus eos qui adversus  
Patres armantur, ut Patrum invasores, qui in omni  
mundo infamia notantur.

## LXXX [LXXII].

*Ut nullus regum hujus canonis censuram in aliquo violare præsumat.*

(*25. q. 1, Generali decreto. — Lib. vi, c. 249.*) Item  
generali decreto constituimus ut execrandum anathema  
[stat], et velut prævaricator catholice fidei apud Deum  
reus existat, quicumque regum vel potentum deinceps  
canonum censuram in quocunque crederit vel  
permiserit violandam.

C  
NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

(*Adriani papæ Capitula.*) Quanti hæc olim habita  
fuerint in Gallia ex eo intelligi licet, quod omnia in  
libros Capitularium regum transfusa sint. Videntur  
etiam nonnunquam episcopi eadem sibi et ecclesiis  
suis pro lege observanda proposuisse; ut Hincmarus  
Laudunensis, cujus in codice sanctæ Mariæ Viridunensis,  
post hæc Adriani capitula, istiusmodi exstat professio:  
«Hincmarus, Deo miserante, Ecclesie Laudunensis  
episcopus, his sanctorum apostolicæ sedis Patrum  
decretis obtemperandum subscripsi. Qui quoque  
mihi eodem auctore commissi sunt, et in his  
similiter sentiunt, solliciti servare unitatem spiritus in  
vinculo pacis, hac mecum pace potiantur. Si vero  
aliqui secus nolentes fieri socii hujus discipline, nec  
habeantur participes communionis nostræ. Actum  
Lauduno VIII Idus Julias.» At horum contra auctoritatem,  
tanquam a sacris canonibus discrepantium, elevare  
atque infringere conatur Hincmarus Rhemensis  
adversus nepotem scribens, cap. 24, qui et hæc  
ejus subscriptionem vellicat capite 36.

## NOTÆ ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS.

De Adriani papæ decretis sumptis, ut aiunt, ex  
Graecis et Latinis canonibus et synodis Romanis, aliisque  
decretis præsulum ac principum Romanorum, et  
traditis Angelramno Mediomatricis urbis episcopo  
XIII Kalendas Octobris, indictione 9, anno Christi  
785, ut suspicor.

CAP. I. *Dei ordinationem accusat*, etc. His verbis  
utilitur Telesphorus epistola 1: unde est cap. 8, can. 6,  
quæstio 1, apud Gratianum, et Ivo, parte vi, cap. 314,  
decreti; et Anselm., lib. III, cap. 13; eisdem utitur  
Eusebius papa epist. 2. Neque dissimilia sunt verba  
Alexandri papæ epist. 1 et epist. 2, ex qua sumuntur  
cap. 2, dist. 94, licet falso Antonius Demochares edidit.